

LEVITAS  
PETRI MOENS

PASTORIS BRUGENSIS,

In criminandis Theologis, sub unum aspectum  
revocata, occasione Epistolæ  
nuperæ ad G. S.

---

MOGUNTIAE, 1680.



## PRÆFATIUNCULA.

Quiddam otii nactus ad legendam Epistolam ad me datam à Petro Moens Pastore Brugensi, judicavi, neque ad dexteram, neque ad sinistram mihi declinandum esse; sed dissimulatis evagationibus, accerbitate, immodestiâ hoc agendum, ut unum sub aspectum revocetur mala fides, & levitas viri in criminandis Theologis, collecto vario specimine ex ejus libello Criminatorio.

Quòd tamen ait, me deceptum fuisse, cum ipsum asserui Autorem esse criminationis Flandricæ, cavi, nè id assererem, donec vidi Libellum criminationis Latinæ, quem comperi auctiorem quidem, sed reliqua tam similem criminationi Flandricæ, ut non possem prudenter dubitare, quin idem esset author utriusque. Sed denique huc res redit: Latinè scripsit Libellum priorem; alius vertit Flandricè: hoc ipsi credamus. Me verò cum honorat nomine Jesuitæ illius, quem æstimo plurimi, non est cur valdè ægrè feram, etiam illas passus contumelias, quibus virum egregium incessit: quod verò id colligat ex stylo, ostendit, quàm parum sit idoneus discretor stylosum: stylo sum usus meo, & non alieno: quod an de se affirmare possit Pastor, ipse viderit: suspicio est usum esse stylo

cujusdam Tenebrionis, jam pridem nobilitati criminandis bonis viris. Sit de hoc, ut lubet: me quoque fingat, quem cupit: istud non patiar, ut palam ego, vel ille alter ego, quem fingit, affirmasse dicar, à Factione Jansenianâ effectum, ut ullus Romæ liber proscriberetur. Affirmationem longè diversam, quod probare possum, sed eò raptam à malevolis, Pastor arripuit. Sed nos

#### AD REM IPSAM.

**A**ntonio Escobario Pastor attribuit Propositionem primam ex 65. damnatis de licito usu probabilis opinionis circa valorem Sacramenti. Locum authoris citavit Th. Mor. in Prologo cap. 3. n. 15. ibi nec verbum est de quæstione hâc: tractatur verò quæstio, an sequi liceat opinionem speculativè probabilem, non de valore alicujus actûs, sed de praxi ipsa & honestate actionis. Videatur Confutatio pag. 82. De mala fide, & levitate Criminationis hujus non se purgavit Pastor in Epistola, neque purgabit.

Propositionis 2. de licito usu, opinionis minus probabilis, etiam Judici, autorem fecit Tamburinum lib. 1. in Dec. c. 3. §. 4. n. 10. Ibi verò Tamburinus, postquam docuisset singula Propositionem damnatam perimentia, hoc

hoc unum monuit, superiorem Doctrinam esse restrictam ad causas civiles: in criminalibus enim, si Rei causa maneat probabilis, non licere Judici eum condemnare ob sententiam probabiliorum reo adversantem, idque ex dispositione Legum: quæ doctrina est certa & minime damnata; ut omnes periti intelligunt. De criminatione hâc non se purgavit Pastor, neque purgabit. Attamen ait in Epistola, me *fraudulenter* omisisse, quæ habet Tamburinus l. 1. in Dec. c. 3. §. 4. n. 11. & 16. vide sinceritatem arguor fraudulentia, quòd non accusaverim Tamburinum, ubi non accusabatur ab his Criminatoribus. Sed neque num. illo 16. quidquam ad rem invenias: num. 11. si quid ad rem sit, hoc unum est: Tamburinus *non negavit* contrariae sententia probabilitatem: non tenebatur negare; uti nec asserere.

*Omnibus Jesuitis, & paulò post, omnibus ferme Doctoribus Societatis, impegit in Epistola Propositionem 3. generatim, dum probabilitate sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non excuratur, confissi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Criminationis est enormis. Opto proferri vel unum Jesuitam, qui saltem modo loquendi accesserit ad propositionem, præter Tamburinum, de quo sum auditus in Confutatione. Quàm sint alieni Jesuitæ à doctrina Propositionis vel ex eo perspicias, quòd vix ulla ipsis do-

Trina sit communior, quàm ad licitum usum probabilitatis requiri, ut probabilitas sit certa; probabilitas autem *quantumvis tenuis* tandem deficiat à certitudine: neque enim quòd proximè accedit ad confinia probabilitatis & improbabilitatis, facile dictu est sitnè probable an improbabile. Quid de doctrina Tamburini senserit Guilielmus Le Maire, nihil ad me: eam sic intèllexit, ut judicaverit traditam ab innumeris Doctoribus: non ægrè fero, quòd sic intellexerit: ætatem habet; pro se loquetur; idque faciliùs, quàm se purgaturus sit Pastor de calumniis tam atroci.

Propositionem 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*, temèrè attribuit Escobario Theol. mor. pag. 39. Escobarius illo ipso loco Th. mor. lib. 2. sect. 2. probl. 6. n. 56. pag. 39. relatâ sententiâ Dianæ, & Joannis Sanchez, docentium, ut putavit, infidelem, cui manet probabilis sua religio, nè quidem in articulo mortis obligari ad credendum nostra Mysteria, quæ cœperunt videri probabiliora, hæc subdit disertissima: *Ego autem cum Banez, & Petro Ledesma eum etiam extra mortis articulum obligarem*. Nihil verò invenitur isto loco, ex quo conficias, vel probabilem Escobario visam esse sententiam, quam putavit esse Joannis Sanchez & Dianæ. Superest, ut de criminatione hæc se purget Pastor,

Filliucio

Filliucio attribuit Propositionem 6. *Probabile est, nè singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum*. Author ille disertè docuit contradicentia Propositioni Tract. 22. c. 9. Tertia, inquit, *sententia assignat tria præcipuè tempora: Primum est initium mortis perfecti discursus . . . Secundum articulus mortis . . . Tertium est tempus intermedium vita, saltem quinto quoque anno . . . Dico 2. Tertiam sententiam videri probabiliorè*. Et infra: *Intermedium tempus vita, cum sæpè longum sit, & hoc præceptum sit primum & maximum, aliquoties obligare debet; cum autem determinatum non sit, relinquitur arbitrio Sapientium*. Hæc profectò non est doctrina Propositionis damnatæ. Postulavi verò monstrari locum, & verba, quibus affirmârit Filliucius, *probabile esse, nè singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis*. Non est monstratus, neque monstrabitur. Sed neque de criminatione hæc se purgavit Pastor, aut purgabit: Unum frivole causatur, Authorem illius Doctrinæ dictum esse Filliucium ab Escobario. Atqui accusatorem Filliucii decebat adire Filliucium, & non acquiescere Escobario; qui quantum peccârit citatione istâ, neque accusatorem agens, neque doctrinâ ipsâ in tantam invidiam adductâ, statuant Cordati. Escobario non studeo, sed Veritati.

Propositionem 7. *Tunc solum obligat (præ-*

A 4

ceptum

ceptum Charitatis) quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possumus, attribuit Azorio; sed per injuriam: hoc Author solum docuit, quod communissimè cæteri Theologi, extra necessitatem justificationis, non esse tempus determinatum, sive de quo nobis determinatè constet, quo obliget Præceptum. Etenim l. 9. c. 4. q. 1. ubi visus fuit peccasse, profitetur, non aliud se docere de præcepto Charitatis, ac docuerat de præcepto Fidei. Atquæ lib. 8. c. 7. q. 6. de præcepto fidei, simulque de præcepto charitatis sic docuerat: *Præceptum fidei non habet amplius vim obligandi, ut remedium ad justificationem; ITA UT CERTO TEMPORE FIDEI ACTUM ELICERE DEBEAMUS; semper tamen eo præcepto tenemur, nè ali- quid contra fidem credamus, & habet vim obligandi, ut est præceptum virtutis Theologica; quamvis facile non sit, ut ait Bañez 2. 2. q. 22. a. 1. d. 2. designare tempus certum. . .* ET IDEM JURIS EST DE PRÆCEPTO SPEI ET CHARITATIS. De Criminatione hæc Azorii nunquam se purgabit Pastor.

Reum fecit Escobarium Propositionis 9. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Doctrina Escobarii Tr. 7. Exam. 9. n. 53. hæc est: *Conjugalis actus bonus est, si ob prolem fiat, vel ob debitum reddendum; ad alios fines VENIALE NON EX- CEDIT;*

CEDIT; v. g. ob delectationem, sanitatem & similes. Non est idem, *Veniale non excedit, & omni penitus caret culpa, &c.* Neque monstratus est, neque monstrabitur locus, ubi plus docuerit Author ille. Ergò & de Criminatione hæc se purget.

Laxitatem Propositionis 12. de præcepto Eleëmofynæ attribuit Gabriëli Vasquez in Opusculo de Eleëmofyna. Demonstravi autem, & in Refutatione & in Confutatione, doctrinam Vasquez de obligatione Eleëmofynæ modum omnem severitate ipsâ egressam videri posse; quippè qui docuerit non solum in extrema necessitate, quale est periculum vitæ, sed etiam in gravi, qualis est morbus gravis, atque etiam in periculo famæ amittendæ, nos obligari Proximo subvenire, non solum de superfluis statui, sed etiam de superfluis naturæ, & necessariis statui. Hortatus sum Pastorem, ut in se experi- ri vellet doctrinam Vasquez, non autuma fecisse. Superest ut se purget de Criminatione.

Malâ fide reum egit Azorium Propositionis 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se: En verba Azorii p. 1. l. 8. c. 7. q. 6. Præceptum Fidei . . . habet vim obligandi, ut est præceptum Virtutis Theologica, quamvis facile non sit, ut ait Bañez 2. 2. q. 22. a. 1. d. 2. designare certum tempus.* Ultra obligationem illam pro tempore haud facile designabili, obligatio- nem

nem primi actûs fidei ad certum tempus determinat ibidem cap. 27. q. 8. his verbis: *Præceptum Fidei obligationem inducit, ut impius sive infidelis credat, cum primum fuerit sibi Evangelium Christi idoneè & convenienter annuntiatum.* Post hæc proferat Pastor Azorii verba, quibus putavit contineri Propositionem damnatam non proferet, neque se purgabit de hoc omni genere Criminationum.

Propositionem 27. de *causa justa utendi Amphibologiis, quoties id necessarium, aut utile est, &c.* Pastor affirmavit *esse ex mente omnium Jesuitarum.* Nemo sapiens vir non videt indignitatem Criminationis: Nimis hæc aliena est à gravitate, sinceritate & charitate, quam postulat munus Pastoris animarum, quod gerit in tam ampla & benè morata Civitate. Fieri non potest, quin hæc levitas displiceat honestissimis & urbanissimis Civibus, & multum ipsi detrahat de ea æstimatione, quam vel habet inter illos, vel habere deberet. Negant omnes Jesuitæ Propositionem esse ex mente sua. Ut causa sit justa utendi Amphibologiâ, etiam ex verbis & circumstantiis ortâ, non sunt contenti causâ quoquo modo utili; sed graviores requirunt, & vulgò admissas, ut idoneas; qualem censent, si de peccato in Confessione sacra audito interrogetur Sacerdos, si Reus haud legitime interrogetur, &c. in quo genere eventuum fas esse elu-

cludere interrogantem aliquâ Amphibologiâ, docent omnes Doctores, teste Adriano in 4. de Confessione non procul à fine: quibus si adversari cœperit Pastor, ipse viderit de modo consulendi Confessionis sigillo. Sed & Criminationem tam enormem cordatis viris faciat probabilem.

Lessio lib. 2. c. 42. dub. 9. attribuit Propositionem 28. *Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali prestare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis &c.* Pergit etiam in Epistola Propositionem Lessio impingere. Decebat sincerum Accusatorem bis monitum, non dissimulare, Lessium illo ipso loco docere generaliter sic promotos, esse reos peccati gravis, atque etiam perjurii: eosdemque graviter obligari, ut commendationem faciant irritam, & alioqui obligari, ut Magistratum detrectent quoad possunt &c. videatur Refutatio & Confutatio. De hoc sinceritatis defectu numquam se purgabit cordatis viris.

Eamdem Propositionem affirmavit *esse ex mente plerorumque Jesuitarum*: hoc verò ipse dixit nullam veri speciem adumbrans criminationi tam atroci; de qua neque se purgavit in Epistola, neque purgabit umquam.

Propositionem 30. *Fas est viro honorato occide-*

*re inuasorem, qui nititur calumniam inferre &c. idem quoque dicendum si quis... post impactam alapam vel istum fustis fugiat*, attribuit Lessio. Ostendi Lessium utramque partem Propositionis & rejecisse ut parum probabilem in praxi, & validis argumentis infirmasse l. 2. c. 9. dub. 12. n. 80. & 82. Nihilò secius perrexit Pastor in Epistola Propositionem Lessio impingere, insinuans, eam ex Doctrina Lessii consequi: de consequentia illa credi sibi vult: vide iniquitatem criminacionis: de hac non se purgabit; ne quidem si consequentiam probarit; quod præstabit nunquam.

Propositionem eandem affinxit Escobario. Hic Autor tr. 1. Exam. 7. c. 2. n. 7. sic interrogat, & respondet: *licetne pro defensione honoris verbis tantum impugnati aggressorem occidere? Minime: licet tamen si factis impugnetur. Fugit aggressor? occidere non licebit.* Locum designat Pastor, ubi his contradixerit Escobarius, purgetque se si potest.

Propositionem eandem affirmavit esse *innumerorum Jesuitarum*. Atque hæc formula cum toties recurat in ejus libello criminatorio, credi cupit in Epistola nullo se duci odio, aut malevolentia. Aio fidenter, ne unum quidem nominandum Jesuitam, qui doctrinam Propositionis tradiderit absolutè; alii tradiderunt non pauci, ut ostendi. Peccavit tamen Amicus, argumenta colli-

colligendo, faventia doctrinæ; sed disputandi gratia, maturò judicio relicto penes prudentem lectorem ut profitetur. De criminacione tam enormi neque se purgavit Pastor, neque purgabit.

Propositionem 31. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei* Pastor convictus in Refutat. perrexit affingere Molinæ. Quæstionem de fure tractans Molina Tom. 4. de Just. tr. 3. d. 16. ægrè assentitur, ut furem occidere liceat ad conservandam summam magni valoris; *condemnare*, inquit, *non audeam*: jubet & moneri furem &c. At verò magni valoris rem esse aureum, ob quam liceat occidere furem, nusquam asseruit, imo haud obscure significavit, tres, quatuor, & quinque aureos parvi valoris rem esse. Verum, quod asseruit Molina de Raptore vim inferente, non solum rei alienæ, sed etiam personæ Domini resistentis, sic accipitur hoc tempore, ut si asseruisset de simplici fure: pergit Pastor in Epistola fabulari, doctrinam Propositionis damnatæ attribui Molinæ ab Escobario: non vacat inquirere: at saltem debebat, bis demonstratâ Molinæ innocentia, si quid scrupuli superesset adire Molinam, & oculis suis credere. De criminacione ergo ista se purgabit nunquam.

Propositionem 37. *Famuli, & famula domestica possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario suo,*

*suo*, quod recipiunt, affirmavit esse traditam à Baunio, & quidem in terminis summæ Gallicæ pag. 213. verum Baunii Assertionem finxit esse, quæ est Quæstio Baunii. Termini, seu verba Baunii hæc sunt: *An liceat famulis, qui conqueruntur de suis stipendiis, eadem augere clam surripiendo de bonis Dominorum, quantum sibi imaginantur esse necessarium ad stipendia æquanda suis laboribus?* Non est Assertio, ut patet, sed Quæstio; ad quam denique respondet Autor valdè circumspèctè, multa cautione, & restrictione. De Criminatione hæc non se purgavit Pastor, neque purgabit.

Baunio ibidem pag. 219. rursus adscripsit Propositionem 38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Baunius in re disputatissima unum ibi docet, ultimum furtum minutum, & complens damnum grave, non esse peccatum lethale: de restitutione faciendâ nihil ibi definit: definit verò quæst. 14. his verbis: *manendo in nostris principiis dicimus, quod ad evitandum peccatum mortale, sufficiat in rigore partem restituere, quâ restituit, cessat notabilis quantitas ad furtum mortale petita.* Hæc est Baunii doctrina, eademque Theologorum communissima, & multum diversa à Propositione damnata, ut patet. De criminatione tam iniqua non se purgavit Pastor, neque purgabit.

Esco-

Escobario adscripsit Propositionem 42. *Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum; sed solum si exigatur, tamquam ex iustitia debitum.* Locum Escobarii nullum designavit, autumo designatum voluisse, quem designavit Montaltius in Epistolis infamibus; Tract. 3. exam. 5. c. 1. ubi negavit Escobarius, usuram esse intendere lucrum ex benevolentia & gratitudine. Multum diversa sunt lucrum intendere, seu sperare, & lucrum exigere. Crediderim & designatum voluisse locum Escobarii ibid. cap. 4. n. 33. *sperare per mutuum amicitiam, vel aliquod donum ex gratitudine Mutuatarii, non est usura mentalis: hætenus nihil novi: Nec tale donum ex tali obligatione exigere est usura realis.* Diversissima sunt, non est usura realis, & quod habet Propositio, non est usura, ut omnes periti intelligunt, qui communem callent definitionem usuræ realis, & mentalis, traditam ab Escobario ibidem n. 1. *Usura realis est lucrum: quod accipitur ex pacto expresso vel tacito: Mentalis lucrum ex mutuo absque expresso, vel tacito pacto: congruenter huic definitioni, asseruit Escobar, exigere lucrum ex obligatione gratitudinis, nullo prævio pacto, non esse usuram realem; insinuat verò, esse usuram mentalem. Patet ergo levitas, & mala fides Pastoris.*

Propositionem 43. *Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso*  
cri-



*crimine elidere? Item Propositionem 44. priori similem, adscriptit Tamburino his verbis: Propositionem 43. docet Tamburinus lib. 9. c. 3. §. 2. n. 25. qui magis impiè rem ulterius protrahit. Sic Pastor in Libello Criminatorio: ex loco quem mihi designavit, descripsi ipsi verba Tamburini hæc ipsa: Quod si quaras, cur ad tuendam vitam, imò & ad vitanda tormenta gravia, possum alterius crimen occultum aperire, non verò falsum imponere; cum utrumque sis infamare? Respondeo, quia ipso lumine natura apparet, minus esse infamare asserendo verum, quam imponendo falsum. Cum igitur ego habeam jus ad vitam servandam ex una parte, & ex alia aliquod tandem jus habeam propalandi ea, quæ in mundo extiterunt, mihiq; sunt nota; idcirco eo jure uti potero in mea necessitate; esto per accidens sequatur malum alterius. At ad dicendum falsum, cum id nunquam extiterit, nullum prorsus jus habeo. Hæc ego ex loco Tamburini, quem mihi designavit Pastor, descripsi optimâ fide, neque alia ibi inveni, quæ his adversarentur.*

Post hæc mihi exprobrat in Epistola, me omisisse horrendum Tamburini locum l. 9. c. 2. §. 1. n. 4. Mirus est hic Pastor. Propositionis damnatæ reum egit Tamburinum l. 9. in Dec. c. 3. §. 2. n. 25. & quidem, ut qui magis impiè rem ulterius protraxerit: Lego diligenter illud cap. 3. §. 2. n. 25. invenio singula Propositioni damnatæ adversantia, eademque ipsi exhibeo: post

post hæc mihi exprobrat tamquam pudore dignum, quod omiserim horrendum, ut censet, Tamburini locum l. 9. c. 2. §. 1. n. 4. Sed cur mihi non designavit in sua Criminatione illum horrendum Tamburini locum? An mihi necesse erat describere omnes Tamburini locos ipsius judicio horrendos? Ignorat sanè munus Accusatoris, quod suscipit. Quis etiam scire potuit; quos locos ipse judicaret horrendos? Quid si etiam ad rem quæ agitur nihil illi pertineant? Certè non pertinet locus ille l. 9. c. 2. §. 1. n. 4. quem omissum à me queritur: nihil ibi invenias, quod horrendum ipsi videri potuerit, nisi hæc: Dico primò; ad generalem inquisitionem, à Judice instituentam, non requiri, ut præcedat infamia; sed tunc interrogati non debent patefacere eos, QUI OCCULTA CRIMINA PERPETRÂRUNT, etiam si sub Juramento, vel Excommunicatione illis precipiatur, ut, quod sciunt, proferant: possunt enim ac debent per equivocationem dicere, se nescire. Quid hæc ad Prop. 43. aut 44. Videt Lector sinceritatem Pastoris in sua Epistola: non se purgabit.

Questus eram dolenter in Confutatione, Auctorem Propositionis 49. Mollities jure natura prohibita non est. Undè si Deus eam non interdixisset, sapè esset bonâ, &c. citatum esse à Pastore Escobarium; cum nusquam occurreret vestigium doctrinæ tam absurdæ in scriptis Escobarii; sed

omnia doctrinæ adversantia. Contrà prodit Pastor in Epistola, & mihi jurat, se ad Propositionem 49. non citasse Escobarium: me verò oscitantæ, imò fraudis infimulat, qui *avulserim Escobarium contra mentem factumq; suum à Propositione 51. eumq; alligaverim Propositioni 49.*

Ad hæc ego memor modestiæ Christianæ, cordatè assevero, extare apud me Libellum criminatorium Pastoris, non leviter descriptum, sed ritè & autenticè collatum cum exemplari Pastoris manu exarato, subjunctâ Tabellionis publici attestazione solenni de convenientia seu concordatione ejusdem Libelli cum suo Autographo: similiter assevero in Libello illo autentico nomen Escobarii adhærere Propositioni 49. nitidè, distinctè, sine ulla ambiguitate. Notam ergò oscitantæ & fraudis, quam mihi impingit, diluam, si erit opus, ad Tribunal quodlibet: ipsum verò cum suo juramento, Deo permitto, & conscientiæ suæ.

Propositionem 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, si duas ejus partes, imò 4. simul à diversis celebrantibus audit, affinxit Baunio locum citans nullum. Baunius in Summa Gallica cap. 18. praxim illam audiendi duas simul partes damnat, ut tendentem ad imminutionem servitii Divini, & pietatis erga Deum, tamquàm contrariam opinioni proborum, & inusitatam in Ecclesiâ: Sententiam ipsam vocat novam glossam. Post hæc doceat*

doceat nos Pastor, ubi Baunius praxim illam probârit. Non docuit, neque docebit.

Propositionem 57. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam: manifestâ fraude affinxit Amico Tom. 8. d. 3. n. 13. ubi disertissimè requirit hic Autor, ut supernaturalis sit Attritio, non aliâ ratione admittens attritionem ex timore posse sufficere, quàm quia timor potest esse supernaturalis, & ex meritis Christi procedere. Ibidem n. 11. & 12. sic docuit: Dicendum est, non quemcumque dolorem ex quovis motivo, infra motivum Charitatis conceptum, esse sufficientem cum Sacramento . . . Ratio: is dolor est cum Sacramento ad justificationem sufficiens, qui aliquo modo animum peccatoris convertit ad Deum, OBJECTUM SUPERNATURALE. At non omnis dolor animum convertit ad Deum, OBJECTUM SUPERNATURALE; non dolor peccati propter infamiam apud homines contractam, &c. En ergò fraudem.*

Propositionem eandem adscripsit Hurtado de Mendoza apud Dianam p. 4. Tr. 4. Resol. 193. ubi Gaspar Hurtado, qui non est de Mendoza, docet dolorem ob malum temporale cum respectu ad Deum, à quo immixtum, aut immittendum est . . . sufficere ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ: Verbum verò est nullum, quo insinuet, sufficere dolorem naturalem: sed nimirum Pastor habet pro indubitato, non posse dolorem illum supernaturalem esse: contrà sentiunt graviores

Theologi; quidquid sit de sufficientia illius At-  
tritionis, de qua non consentiunt etiam Jesuitæ.  
Quod ad rem attinet per injuriam, Pastor cri-  
minatus est Hurtadum, de qua neque se purga-  
vit, neque purgabit.

Propositionem 58. *Non tenemur Confessario  
interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem,*  
adscriptis Baunio in Theol. Mor. p. 1. tr. 4. q.  
15. Negavit ibi Baunius Confessario jus esse in-  
terrogandi de consuetudine peccandi, nisi ejus  
rei gravem causam habeat: quo significat jus  
illi esse, si gravem causam habeat; adeoque  
& obligari pœnitentem, ut interrogatus fa-  
teatur consuetudinem. Purgatione indiget cri-  
minatio.

Ad Propositionem 59. *Licet Sacramentaliter  
absolvere dimidiatè tantum confessos, ratione ma-  
gni concursûs Pœnitentium, &c.* Sic adnotavit Pa-  
stor: *Jesuita sæpè in suis Thesis.* Libet virum  
etiam tertio stimulare: edisserat nobis qui Jesui-  
tæ, ubi, quando, quibus Thesis Propositionem  
tradiderint. Ad similia ille tacuit hacten-  
us, & tacebit.

Baunium appellavit autorem in expressis terminis  
Propositionis 60. *Pœnitenti habenti consuetudinem  
peccandi . . . etsi emendationis spes nulla appareat,  
nec est neganda nec differenda Absolutio; dummodò  
ore proferat se dolere.* Demonstravi, Baunium  
non esse contentum frigida conditione; dum-  
modò

*modò ore proferat se dolere; sed illo ipso loco, ubi  
accusatur, Th. mor. p. 1. tr. 4. de Pœnit. q. 22.  
requirere, ut Pœnitentem verè admissorum pœniteat,  
habeatque Dolorem de peccatis, Propositum firmum  
& stabile; quod ipsum quæst. 5. sic explicat;  
dummodò dolore necessario instructus ad Confessionem,  
vita melioris consilium asserat, de quo Sacerdoti,  
quantùm fas est humanitus, ex signis, aut ejus ore  
voceq; constet: hæc negavi eadem esse, ac istud,  
quod habet Propositio; Dummodò ore proferat  
se dolere.* Induxi etiam Baunium in Summa cap.  
46. q. 3. pag. 1087. sic loquentem: *Quis non  
agrè ferat, admitti ad Sacramenta eos homines,  
qui illis non solum non utuntur ad suam salutem, sed  
omnino abutuntur, redeundo assidue ad suum vomitum?  
Repellendi proinde sunt, negatà Absolutione;  
etsi merito timeretur hæc repulsâ peiores efficiendos.*  
Neque his sibi contradixit Baunius, vel in spe-  
ciem. Se Pastor purget de criminatione iniqua,  
si potest.

Nicolaum Caussinum in Resp. ad Th. mor.  
affirmavit ita defendisse doctrinam ejusdem Pro-  
positionis 60. ut dixerit: *Hoc nî verum esse cen-  
seatur, magnam partem hominum usu Confessionis  
esse arcendam: & vix aliud peccantibus remedium  
superesse, quam restim, aut arboris ramum.* Cer-  
tum est non dixisse illa Caussinum ad tuendam  
doctrinam Propositionis damnatæ, ac nè quidem  
ad tuendam doctrinam Baunii, quam modò

audivimus, quæ in Apologia Cauffini ferè continetur Prop. 35. de Pœnit. Dixit ad tuendam doctrinam in eâdem Apologiâ contentam Propositione 34. multum diversâ à Propositione 35. dixitque ad rem ipsam valdè accommodatè. Non se purgabit Pastor.

Propositionem eandem imposuit *Jesuitis Gallicæ Autoribus Apologiæ Casuistarum* pag. 49. Certum habens tunc quidem Autores Apologiæ fuisse Jesuitas; & quidem plures: in Epistola deinde Autorem Apologiæ appellat Jesuitam Piror. nihil hæc me angunt utcumque se habeant: Auctori, vel Autoribus Apologiæ quicumque illi fuerint, imposuit Pastor: Apologiæ pag. 49. quam appellat, nihil invenitur quod ad rem pertineat; nisi forte, non esse generaliter negandam, aut differendam Absolutionem habentibus consuetudinem peccandi, quod omnino ad rem haud facit.

Eandem Propositionem 60. affinxit Francisco Jacops; non dubium, quin in *Questione Theologica celeberrimorum Orbis Christiani Theologorum autoritate, & approbatione firmatâ*: nihil ibi invenias ad rem pertineas, nisi: censeas, damnatam esse doctrinam docentium non esse generaliter negandam aut differendam absolutionem habentibus consuetudinem peccandi, donec eam deposuerint. Procul à doctrina Francisci Jacops istud Propositionis damnatâ; dummodo

ore

ore proferat se dolere: item; *Etsi emendationis spes nulla appareat.* Autorem iniquè criminatus est Pastor, neque de hoc se purgabit.

Eandem Propositionem 60. attribuit *infinite Jesuitis.* Ne unum quidem invenit, quem jure nominaret: sed neque invenit.

Pluribusnè est opus, ut perspiciat Lector malam fidem, levitatem, malevolentiam? Otio abutar, si plura congeram; cum supersint permulta. Huic generi criminationum si putet hoc dedisse S. Congregationem, ut proscriberet Refutationem commiseratione dignus est.

Sed verò alicubi fortasse haud aberravit accusando. Rem verò magnam, & æterna laude dignam! Inter Theologos omnis generis, quorum doctrina quæpiam videri potest non evasisse Censuram nuperi Decreti, inventi sunt etiam Jesuitæ: Rem incredibilem! Atqui etsi alii multi, inquit, etiam de Clero seculari errores tales docuerint, illi de Societate primas partes illa in re egerunt, ut certum est. Imo sic reddamus: *Etsi alii multi, etiam de Clero seculari, etiamque de Academicis Lovaniensibus paria, aut magis invidiosa docuerint, illi de Societate primas partes agere jussi sunt in libellis Criminatoriis malevolorum, ut certum est ac demonstratum in Confutatione.*

Hæc ego non ferens, Confutationem ita scripsi, ut neque accusarem quempiam, neque absolverem temere; quod & studiose mihi pro-

B 4

posui

posui, & servavi. Plurimos inter Religiosos accusatos temere, & malevole, contigit quosdam accusari non sine veri specie: non hoc egi ut absolverem; sed doctrinam cum suis moderationibus & restrictionibus, quas inveni, proposui considerandam, & judicandam sapienti Lectori: tum verò & hoc egi, & perfeci, ne in ea doctrina viderentur singulares, in quâ duces, comitesque babuissent Theologos omnis generis.

Hoc idem gratiæ præstitissem Escobario, si mihi fuisset commonstratus locus Tract. 7. Exam. 4. n. 223. qui denique correctâ citatione Montaltii, qua & lusi sunt Criminatores, commonstratur in Epistola Pastoris. Adnotassem hæc verba Escobarii: *Famulis actiones indifferentes licita erunt, quando sine GRAVI INCOMMODO non possunt mutare domicilium, & inibi perseverantes GRAVE DAMNUM timent &c.* Sed neque omissem extr. 2. exam. 1. n. 61. verba Autoris actiones illas famulo permittentis; *si dominus sit illum expulsurus, & sic cogendus mendicare, vel penuriam pati; præcipue cum non inveniat alium Dominum, qui eadem non petat obsequia; dummodò actio sit indifferens &c.* Post omnia sapienti Lectori mandassem verba Escobarii conferenda cum Propositione 51. sed neque omissem ex priori loco hæc: *Epistolas amatorias manifeste turpes deferre malum est intrinsecè. Pastor videtur non legisse.*

Sed

Sed in Gabriele Vasquez quam graviter peccatum est? pars est Epistolæ præcipua. Causam Lector accipiat.

Gabrielem Vasquez reum egerat Pastor Propositionis 5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret? Condemnare non audemus.* Etenim pro hac doctrina Autorem illum citaverat Escobarius: hoc satis fuit Pastori. Erravit Escobarius, errore ipsi ignoscendo; cum neque Accusatorem ageret, neque doctrinam autori impingeret, quæ esset eo tempore damnata. Erravit autem cum certum sit, Vasquez Tom. 4. in 3. p. q. 86. a. 2. dub. 6. non docuisse, charitatem non nisi semel in vita obligare, sed potius contrarium. Etenim cum dixisset, *preceptum contritionis de se tantum obligare in extrema necessitate &c.* Nos enim, inquit, non negamus, in multis casibus esse obligationem contritionis; sed dicimus eam esse obligationem CHARITATIS. (Hic vapulo, quod omiserim sequentia, quæ rem meam dilucidant) *sed non per se (cum sit obligatio charitatis scilicet) sicut in simili dicemus infra quæst 90. &c. non esse obligationem per se recipiendi Sacramentum Pœnitentia, nisi in extrema necessitate; saltem quando tempus non determinatur ab Ecclesia.*

Cum nihil spei sit in quæst illa 86. vocat me Pastor ad quæst 90. sequor, & ecce nova lux aboritur. Comperio Vasquez ne quidem absolute

solute docuisse, *præceptum contritionis de se tantum obligare in extrema necessitate*. Etenim ut jam audivimus quæst. 86. dicit, ita obligare præceptum Contritionis in sola extrema necessitate, sicut dicturus est quæst. 90. Præceptum Divinum Sacramenti Pœnitentiæ obligare in sola extrema necessitate. Atqui Vasquez quæst. 90. 2. 1. dub. 4. docet quidem Præceptum Divinum Sacramenti Pœnitentiæ nullo alio tempore *determinato* obligare, nisi in extrema necessitate; non tamen docet nullo alio tempore *vago & indeterminato* obligare, imò contrarium docet. En ejus verba: *Præceptum Divinum Confessionis de se habet DETERMINATUM QUODDAM TEMPUS . . . scilicet in tempore extrema necessitatis*. Et infra: *Præcepta sunt Confessio Jure Divino, non tantum in extrema necessitate; sed etiam alio tempore vite; VAGÈ TAMEN*.

Nota Lector non minus, imò plus tribuit Vasquez obligationi Charitatis, quam Contritionis: atqui obligatio contritionis ex ejus mente procedit, ut obligatio Sacramenti Pœnitentiæ Jure Divino: hæc procedit pro sola extrema necessitate, ut tempore *determinato*; et si & *vagè* pro aliis temporibus: Ergò & illa, &c.

Huc res redit: Præceptum Dilectionis nullo obligat tempore *determinato*, nisi *extremæ necessitatis*; quod non obest quin & alio tempore obliget *vagè*, etiam *justificatum*. Hoc unum

eo loco, quem ostentat Pastor, agit Vasquez, ut rejiciat opiniones variorum certa tempora determinantium extra necessitatem extremam, quibus obliget Præceptum Divinum Sacramenti Pœnitentiæ, Contritionis & Charitatis, quæstionem de obligatione charitatis attingens magis loco non suo, quam tractans. Pluribus non est opus ad illum apparatus de Gabriele Vasquez.

Superestnè quidpiam in Epistolâ, quod Patergon non sit? Ad Propositionem 31. allegari locum Tamburini l. 5. c. 1. §. 3. n. 29. nugæ sunt meræ. Ibid. n. 31. Tamburinus doctrinam Castropalai appellavit probabilem: de doctrina Castropalai auditus sum in Confutatione.

At quid de principiis Logicæ, quibus generatim affirmat Pastor *corrueere pleraque mea*? Si id seriò affirmavit, ego istud idem seriò nego. *Melior est autem conditio negantis*, ut Jurisperitis est notum.

Porro à Jurisperitis licet mihi sumere Principia totidem Pastori necessaria ad cognoscendum Accusatoris munus; & obligationes muneris, quod suscipit.

1. *Sciant cuncti Accusatores, eam se rem deferre in publicam notionem debere, qua munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatam, & luce clarioribus expedita, Leg. ultimâ C. de Probat. V-*

reor nè hæc, & quæ sequuntur pluraque censent damnata à Clemente X. qui sibi persuaserit damnatam ab illo esse eorum doctrinam, qui docent, Judici fas esse sequi sententiam minus probabilem reo faventem in causa Criminali.

2. *Cùm sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius, quam Actori, c. II. de Reg. juris in 6. Similiter Actore non probante, qui convenitur, etsi nihil præstat, obtinebit l. 4. C. de edendo.*

3. *Si quis circa hujusmodi personas ( Ecclesiasticas ) non probanda derulerit, auctoritate hujus Sanctionis intelligat, se jacturam infamiae sustinere: ut damno pudoris, & existimationis dispendio, discat, sibi aliena verecundia impunè insidiari, saltem de cætero non licere, Can. si quis 2. q. 3. in quem locum glossa: Si quis aliquem accusaverit, & crimen illatum non poterit probare, infamis efficitur, & de cætero ad accusandum non admittitur; cùm contra eum de calumnia presumatur.*

4. *Placuit, ut quotiescumque Clericis ab Accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex his, de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cætera jam non adwittantur, Can. 1. 3. q. 10. Ad hæc in primis animum advertere Pastor dignetur.*

5. *Qui in alterius famam in publico Scripturam, aut verba contumeliosa confixerit, & repertus Scripta non probaverit, flagelletur. Hadrian. Papa c. 1.*

5. q. 1.

Denique,

Denique, si plura crimina idem eidem intulerit, singulorum debet abolitionem petere: alioquin prout quid admiserit ( in probatione criminis vel utius deficiens ) penam patietur *Senatus Consulti Turpiliani.*

---

Poterit imprimi.

Datum Moguntia 20. Augusti 1680.

A. F. L. B. H.